

www.e-rara.ch

Sebastiani Castellionis Dialogi IIII

Châteillon, Sébastien

Aresdorfii [i.e. Basel], 1578

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-32621>

De libero arbitrio. Colloquium III. [163-224]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DE LIBERO AR BITRIO.

COLLOQVIVM III.

LVDOVIC. FEDERIC.



Rectè fecisti, Federice, quod
venisti. Equidem hac nocte
multum de eterno collo-
quio nostro cogitavi, mihi-
que visa longa nox est expe-
ctatione aduentus tui. Heri enim multa
mihi aperuisti, quæ antea nescueram:
quæ res effecit, vt sperem hodie quoque
futurum vt aliquid discam. FEDERIC.
Vtinam esset in nobis tanta cupiditas,
præstandi officij nostri, mi Ludouice,
quanta est discendi alieni. Hesternæ qui-
dem disputatio tota fuit de officio Dei
erga homines, cuius officij cognitio non
reddit nos officiosiores, nisi sciamus
quodnam sit nostrum erga Deum offi-
cium, quam ad rem sumus natura tanto
segniore, quanto ad illâ auidiores. L. Ar
hodie via fiet, vt spero ad officij nostri co-

gnitionem, si de hominis voluntate, & libero arbitrio disputabimus. Hoc enim cognito, sciemus quid velle, aut præstare valeamus. Itaque quæso te vt hic se deamus, & rem propitio numine aggrediamur. F E D. Ita faciemus, Ludouice, atque hoc imprimis ex te scire velim, Vtrū velis nos de hominis voluntate, an de arbitrio disputare? L V D. An non est idem voluntas, & arbitrium? F E D. Minimè verò. Est enim arbitrium potestas faciendi quod volumus, vt cum dicimus: Hæc res est arbitrij mei, hoc est possum de ea statuere, vt volo, aut vt vellem. Itaque vtrūque, videlicet libera voluntas, & liberum arbitrium tam ineptè dicitur, quàm si liberam libertatem, aut calidum calorem appelles. Vt enim si calidum demas, calorem sustulisti, ita si liberum demas, arbitrium sustulisti: Est enim idem liberum, & arbitrium. Sic certè loquimur dum dicimus: Facio tibi liberū hac de re statuere. hoc est, hanc rem pono in arbitrio tuo. Voluntas quoque quo serua dici possit, non video. Sin eam cogas, voluntas esse desinet. Quemadmodum si glaciem velis calefacere, glacies esse desinet. Sed quia hæc quam-

uis ineptè tamen sine periculo dicuntur
 nos in verbis erimus faciles, sic tamen
 vt intelligamus liberam voluntatem &
 liberum arbitrium non esse idem. Est e-
 nim libera voluntas, potestas volendi
 quiduis: Liberum verò arbitrium pote-
 stas faciendi quiduis. Itaque statue mi-
 hi Ludouice, vtum me velis de hominis
 voluntate; an de arbitrio siue potestate
 loqui. Hanc enim rem pono in arbitrio
 tuo. LV D. De vtroque velim. FE D. Sic
 igitur quæremus, primū quid velle pos-
 sit homo. Deinde, Quid velit. Postre-
 mō, quid volendo possit. LV D. Placet.
 FE D. Sed pariere me rem paulo altius
 repetere, quo melius perspici possit. LV D.
 Quidnis? FE D. Principio id dico, Deum *Deus vult*
 velle omnes homines saluos fieri, qua de *omnes ho*
 re licet heri disputauerimus, tamen hoc *mines sal-*
 loco repetenda est: quandoquidem in ea *uos fieri.*
 vertitur cordo totius nostræ disputatio-
 nis. Ac primum quin Adamum ad salu-
 tem creauerit, dubitari non potest, cum
 eum ad imaginem suam, & ad paradi-
 sum creauerit. Omnes autem in Adami
 semine creatos esse eadem conditione,
 hoc est ad salutem, etiam heri demonstrā-
 uimus: ex quo efficitur, vt si qui sunt pœ-

nis destinati, non nisi ob peccatum destinati sint. Apparet hoc ex eo quod dixit Deus Adamo; si vesceretur illo fructu, moriturum esse. Iam postquam per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, atque ita ad omnes homines peruasit mors, quatenus omnes peccarunt: an velit Deus omnes sanari quaestio est. Ad quam respondeo, velle. Est enim eiusdem patris animi velle sanare filium aegrotantem, cuius fuit ad sanitatem creare. Neque quisquam nostrum tam malus est, quin velit suos omnes filios aegrotantes ad sanitatem, si fieri possit, reuocari. Quod si nos mali haec facimus, quid faciet bonus Deus? Et si nos hunc paternum in filios animum à deo habemus, quanto magis habet eundem Deus? Potestne vlla bonitas homini tribui, quin eadem sit in Deo bonitatis authore infinitis partibus maior? Potestne mater, inquit, obliuisci filij sui? At qui etiam si mater obliuiscatur, ego tamen tui non obliuiscar. At dicit hoc populo Israelitico. Quid tum postea? an Iudaeorum tantum Deus est? an non omnium gentium? imò omnium hominum Deus & pater est: ideoque filium suum

um aduocādas gētes omnes misit. Possūt
 hæc multis oraculis perspicua fieri. Ecco
 agnus Dei, inquit, qui tollis peccatū mundi.
 Itē: Deus vult omnes homines seruari, & ad 1. Tim. 2.
 veritatis cognitionē peruenire. Quod si hic
 dicent, Paulū nō de omnibus hominib.
 sed de omnibus hominū generibus loq.
 reclamabit ipse Paulus eodē in loco cōti
 nuò scribens: Vnus enim Deus est: Vnus idē
 sequester Dei & hominū homo Christus Ie-
 sus, qui seipsum liberationis pretium pro cū
 ctis dedit. Vides hic Christū esse sequestrē
 omniū, quorū eius pater De⁹ est. Quod si
 nō solū omniū nationū, sed etiā singulorū
 hominū De⁹ est, necesse est, vt Christ⁹ etiā
 singulorū hominū sit sequester, & serua-
 tor. Atq; hoc cōfirmat idē Paulus. vbi sic
 Athenienses alloquitur: Deus nūc omnib. Act. 17.
 vbiq; hominib denūciat, vt ad frugē redeāt.
 statuit enim diē, in quo orbē ex æquo iudica-
 turus est, per virū, per quē decreuit, quē dñs
 ex mortuis in vitā reuocauit, fidem exhibuit
 omnibus. Et hic certē neminē excipit. Sed
 longē apertissimē loquitur Petrus. Fue- 2 Pet. 2.
 runt autē falsi vates in populo inquit, vt etiā
 in vobis erūt falsi magistri, qui perniciosas se
 ctas introducent, vindicemq; suū herum
 abnegātes, celerem sibi perniciē conciliabūt.

Certè hic loquitur de impijs & reiectis: quorum vindicem siue redemptorem vocat dominum: id quod falsum esset, si Christus ad eos seruandos missus non fuisset. Item paulò post. *Non tardat Dominus promissum, inquit, ut nonnulli tarditatem interpretantur, sed lentus est, erga vos, nolens quenquam perire, sed omnes ad sanitatem redire: Loquitur certè de singulis, cum dicit, quemquam. Atque hic congruit cum illa Pauli sententia, qua dicit, Dei benignitate hominem etiam durum ad pœnitentiam inuitari. Et hic Petrus confert eos qui sunt ad pœnitentiam tardi, cum antediluvianis, quos Dei lentitudo ad pœnitentiam inuitabat. Item: Conclufit omnes sub inobedientiam, ut omnium misereatur. Quorum omnium? certè omnium quos conclufit sub inobedientiam. Item: Vbi abundauit peccatum, magis abundauit gratia. Eòdem pertinet illud. Nolo mortem impij, sed magis ut conuertatur, & viuat. Hæc omnia Ludouice, necesse est ut refellas, aut confitearis, Deum velle omnes homines (tū de vniuersis loquor, tum de singulis) saluos fieri. Lvd. Ego verò ista refellere, nec volo, nec possum. F. D. Superest igitur
ut*

Rom. 2.

Rom. 11.

Ezech. 18.

ut ostendamus quanam sit via salutis:
 Neque enim alia via seruari possunt:
 quemadmodum si diceremus, Deum
 velle ut omnes aues genus suum propa-
 garent, id ita intelligendum esset; velle
 Deum, ut aues coirent, nidificarent, & cæ-
 tera ad propagationem necessaria facere-
 rent. Nam aliam propagationis viam
 nec statuit nec vult Deus. Iam verò nota
 est regula illa, contrariorum contraria
 sunt remedia. Ea tam in spiritualibus,
 quàm in corporalibus locum habet. Quod
 si Adami, & porro eius posterorum mor-
 bus fuit inobedientia contractus, neces-
 se est, ut corrigatur obedientia. Itaque ad
 hominem instaurandum Deus propo-
 suit ei præceptum, quibus obediendo ser-
 uaretur. Ideoque vocantur præcepta non
 mortifera, sed vitæ, siue vitalia. Quoni-
 am per ea propositum est Deo hominem
 non necare, sed vitam donare. Quod si pe-
 rit homo non obediendo præceptis, non
 ideo fit quia fuerint ei ad mortem infe-
 rendam proposita; sed quia ipse non o-
 bedit. Est enim præcepti finis vita. Est au-
 tem sciendum, Deum in suis præceptis
 ea præcipere quæ fieri velit, quemadmo-
 dum solent homines. quod quidem ego

*Dei præce-
 pta vitalia
 non morti-
 fera*

*Dei volun-
 tas in præ-
 ceptis de-*

non dicerem, utpote manifestius quàm
 ut dici debere videatur, nisi viderem mū-
 dum ita esse ad mendacia propensum, ut
 multi hodie credāt portentosæ, & planè
 mostrosæ illi sententiæ docentium, Dei
 voluntatem interdum pugnare cum præ-
 ceptis. Talem nos Deum illis adorandū
 relinquamus, cuius cum voluntate pu-
 gnet oratio. Nos veracem Deum cola-
 mus, eumque intelligemus nihil præci-
 pere, quod fieri nolit. Ostendit hoc Da-
 uid cum dicit: *Mihi inam, mi Deus, volūta-*
tem exequi placet, inam legem in imis ha-
benti visceribus. Vides hic Dei volunta-
 tem in eius lege esse comprehensam.
 Quod ad eos attinet, qui Deo duas vo-
 luntates inter se contrarias tribuunt, e-
 os satis heri refutauimus, meo quidem
 iudicio, nisi tu quid obijcis. L V D O V I C.
 Ego verò nihil ad illud. Sed hic occurrit
 difficultas quædam, quod tu heri doce-
 bas, Deum nihil velle, quod fieri non
 possit; nunc dicis, eum velle omnia fieri
 quæ præcipit. At qui aiunt nostri, Deum
 præcipere quæ fieri nequeant. Atque ad
 hoc citant Paulum, qui scribit, legem
 propter delicta latam esse. Per legē esse
 cognitionem peccati: legem peccatū effi-
 cere,

cere: Introductam esse ut maius esset peccatum. F. At ego istis opponam ipsum legislatorem Moysen qui loquitur: *Audite Legis sicut Israelita instituta, & iura, quæ ego vos ad præsens ea obeunda doceo, ut vivatis, & in possessionem Dent. 4.* nem veniatis illius terræ. Et paulò post: Scitote me docere vos instituta, & iura, quomodo mihi Dominus Deus meus præcepit, ut ijs pareatis in terra in quam itis, ad eam possidendam. Et alibi: Ergo vobis vitam, *Dent. 30.* mortemque propono; felicitatem, & infelicitatem. Eligite ergo vitam, ut & vos & vestra progenies Dominum Deum vestrum amando, ei que obtemperando, atque adherendo, vivatis. In ijs, similibusque locis, vides legem non ad peccatum aut mortem: sed ad iustitiam esse datam, ideoque lex vitæ non mortis appellatur: Quod contra, fieri deberet, si ad mortem lata fuisset. L V D O V I C V S. Quid igitur respondebimus ad illos locos Pauli? F E D E R I C. Id ipsum quod ipsemet Paulus, seipsum explicans, respōdet: Præceptum vitæ causa *Rom. 7.* comparatum, compertum est mihi mortiferum. Hic vides præceptum vitæ, non mortis causa fuisse comparatum. Quod autē dicit: Compertum est mihi mortiferum

perinde est ac si dicat: legis intentio, atq; finis est vita, sed euentus est mors. I aq; illa dicta, quæ ostendunt introductam esse legem ad peccatum, non de consilio, sed de euentu loquuntur. Quales loquutiones heri declarauimus. Ita fit, vt eadem lex peccati, & mortis appelletur, si spectes euentum: iustitiæ verò, & vitæ, si spectes legis latoris mentem. Ludouicus. Ista videntur opinionem nostrorum magis confirmare. Si enim lata lex ad vitam, tamē mortem affert propter carnis infirmitatem, quæ ei obedire nequeat: sequitur, vt ea Deus præceperit, quæ fieri nequeant. F E D. Imo sequitur, vt ea præceperit, quæ à carne fieri nequeant, siquidem caro, & sanguis legi Dei non possunt subijci: quippe quæ sit spiritalis. Sed quid tum postea? Si non fiant à carne, fient à spiritu. Et nos hic non quibus viribus fieri possint, sed an fieri possint, quærimus, dicimusque Deum nihil impossibile præcepisse. Quod quò magis intelligere possimus, perpendamus rem totam à principio diligentius. Principio quod præcepit Adamo Deus, vt ab illo fructu abstineret, faterisne eū potuisse abstinere? L V D. Fateor. F E D.

*Impossibile nihil
præcipit
Deus.*

Postea quod Nohe præcepit, vt à sanguine abstineret, fateris, & huic præcepto obediri potuisse? L v d. Fateor. F E D. Item quod Abrahamo corporis circuncisionem præcepit, potuit Abrahamus obedire? L v d. Potuit. F E D. Et quod postea Mosi præcepit vt in Aegyptum descenderet, & Israelitis, vt ex Aegypto vnà cum Mose exirent, hæc quoque fieri potuerunt. L v d. Ita. F E D. Iam ad Mosi legem veniamus. Præcepit Moses, vt à sanguine abstinèrent, & corpora circumciderent, quæ eadem ante Mosem præcepta fuerant, & hæc fieri potuerunt. L v d. Fateor. F E D. Quid cæteræ ceremoniæ, quæ præcipiuntur, poterantné obiri? L v d. Poterant; nam & multi eas obierunt. F E D. Quid igitur præcipitur, quod sit impossibile? L v d. Quod vetatur cupiditas, & quod iubetur vt Deus ametur toto corde. Hæc dicunt esse impossibilia. F E D. Non debent igitur dicere legem præcipere impossibilia, sed legem præcipere quædam impossibilia. Quanquam ne hoc quidem concedo. Sic enim loquitur Moses de lege à se promulgata. *Hæc quam ego vobis hodie trado, Deut. 30. doctrina, neque difficiliore est quàm pro vo-*

*bis, neq; longè posita. Non est in cælo, ut dicatis: Quis nobis in cælum ascendet, camq; nobis inde petet, ut eam audiamus, eiq; pareamus? Neq; est trās mare, ut dicatis: Quis nobis traiecto mari eam petet, ut eā audiamus, eiq; pareamus? Sed est proximè vos oratio in ore vestro, atque in corde, ut ei pareatin. En propono vobis hodie tum vitam, & bonum, tum mortem, & malum &c. eligite ergo vitam. Hic ego ex te quero Ludouice, utrum Moses in hoc loco de tota lege loquatur, an dumtaxat de parte aliqua legis? L V D. De tota. F E D. Est ergo tota lex ad obseruandum possibilis, cum disertis verbis dicat: *Non est difficilior quàm pro vobis.* L V D O V. At verbum istud, quod tu vertis difficilior, vetus interpret, vertit supra te. F E D E R I C. Id ipsum est, quod ego volo: est enim supra te latine dictum, idemq; valet quod supra vires tuas. Itaq; idem vetus interpret (nec non alij) in Genesi vbi idem verbum ponitur, sic vertit: *Nunquid Deo quicquā est difficile?* Vbi angelus Saram reprehendit, quod risisset, quasi Deo impossibile esset partum conciliare sterili. Significat enim verbum illud apud Hebræos propriè admirabile esse. Et quæ fieri aut*

NON

Gen. 18.

non possunt, aut vix possunt, ea admira-
mur (vnde & miracula tum apud Græ-
cos, tum apud Latinos nomē habent) sit
vt verbum illud pro difficilius aut impos-
sibile esse sæpè vsurpēt Hebræi. Itaq; be-
nè propriè vertunt hunc Mosis locū, qui
ita vertunt, vt nos citauimus. Neque est
quod obijciant, Mosē non de legis obe-
dientia, sed de cognitione tātum loqui.
De vtroque planè loquitur, quem admo-
dū verba indicant: vbi dicit. *Vi eam audia Dent. 27.*
mus. Hoc enim ad cognitionē pertinet.
Ei q; pareamus: hoc ad obedientiā. Quid,
quod iubet israelitas iurare sese obedi-
turos legi? cui si obediri non posset, quid
aliud quàm cogit eos ad periurium? Di-
cit Deus, *se misericordia vti ad mille genera Ex. 20.*
in eos qui ipsum amant, eius q; præcepta exe-
quuntur. Ergo sunt qui exequatur, alioqn
non vtitur Deus misericordia. Exempla
sunt multa. Henochus cum ad Dei volū *Gen. 5.*
tatem vixisset, raptus est ad Deum. Noe
fuit seculi sui iustissimus. Lotus ex Sodo-
ma ob iustitiam suam euasit, euasisset-
que vrbs tota si aliquot tales in ea fuisset.
Cum Leui fœdus iniit Deus vitæ *Malac. 2.*
atque pacis, quia deum honoraret, ei-
usq; nomē formidare. Iosua, & Caleb, *Num. 14.*

1. Reg. 12.

Psal. 17. et

18.

Act. 13.

Luc. 1.

Psal. 13.

Rom. 3.

Heb. 11.

quia Deo officium suum præstiterunt, Cananæam obtinuerunt. Cæteri quia inobedientes fuerunt, in solitudine occubuerunt. Samuelis innocentia totius populi testimonio comprobatur. Dauid testatur sese Deo perfectè & toto corde seruuisse: Deum quæ sibi digna innocentia sua præmia rependisse. Zacharias, & Elisabeth erant ambo coram Deo (Ne fortè causeris humanam fuisse iustitiâ) iusti, sese in omnibus (ne vllum fortè præceptum excipias) Domini præceptis ac institutis gerentes inculpato. Denique talia multa exempla possunt afferri: quæ ostendant etiam ante Christi aduentum fuisse homines, qui deo verè, & sincere seruirent. L v d. Quid sibi vult igitur vel Dauid, vel Dauidem citans Paulus qui dicit, *non esse vel vnum qui beneficiat?* F e d. Paulus ostendit ibi neminem iustificari legis operibus, sed fide. Sed an putas omnes qui ante Christum fuerunt, caruisse fide? Vbi igitur fidei parens Abrahamus, quem fide iustificatum fuisse testatur ipse Paulus? Vbi nimbus ille testium qui per fidem regna expugnaverunt, iustitia functi sunt, adepti sunt, promissa: obtinuerunt fauces Leonum

&c.

&c. ludibria, & scuticas, atque vincula, & custodias experti sunt: & alia mille mala pertulerunt, cum eis indignus esset mundus? Paullus illic (vt hoc scias) non de fidelibus, sed de ijs loquitur, qui operibus iustificari volebant, sicut ipsemet, & ibidem, & alibi declarat. Vbi dicit *Ihra Rom. 9.* elitias iustitiæ legem persequentes, ad iustitiæ legem non peruenisse. Quoniam non per fidem sed per legis opera id facerent. Atque hic vnus est de locis Pauli, qui non sunt ita crudè citandi, vt fieri solet, dum nimium tenaciter verbis adheremus, quemadmodum heri de Pharaonis induratione demonstraui. Alioquin quẽadmodũ illic esset ipse Paulus Ieremiæ (Ad cuius de figulo similitudinem alludit) contrarius, si eius verba nimis rigidè velles vrgere: ita hic quoque Dauidi aduersaretur, qui eodem in Psalmo sic scribit: An non intelligunt tot malefici qui meum populum comedũt? Quæso te quem populum? si ne vnus quidem est qui benè faciat, quis est ille populus Dei? Et mox: Sed aliquando pauore corripientur. Nam Deus adest generi iustorum. Quorum tandem iustorum si nemo iustus est? Et continuò.

Vos in opum consiliū exprobratis, quorū fiducia Ioua sit. Ergo ij non in suis operibus, sed in Deo fiduciam collocauerant, ideoq; fide iusti erant. Vides etiam Dauidis tempore fuisse duos populos: quorum alter iustus fuerat, alter iniustus; vt intelligas quā male citari soleat hic locus ab ijs, qui contendunt, quæ ibi scelera commemorantur dici de omnibus, non solum qui ante Christum fuerint, sed etiam qui Christiani sint. Nam & de Christianis ea citari video, quasi etiam Paulus ipse cum hæc diceret, non saperet neque Deo studeret, sed aspidis venenum sub labijs gestaret. Vt nam potius perpendatur Pauli mens quā vt eius verbis tam tenaciter adhæreatur. **LVDOVICVS.** Quid igitur sibi volunt illa verba Pauli? Quod à lege fieri non poterat, quoniam ipsa in eo propter carnem infirma erat, id Deus præstitit suo ipsius filio misso, & pro peccato peccatum damnauit in carne, vt legis iustificatio in nobis perageretur, qui non carni obtemperamus sed spiritui? **F.** Dicam, sed attende me diligentissime. Per magni enim refert tum ad hanc, quā tractamus questionem, tum ad alias, &

Rom. 8.

multas, & magnas explicandas, ea scire quæ dicturus sum. Dixi antea instaurandum esse hominem obedientia, quoniam perierat inobedientia. Est autem obedientia in ijs faciendis quæ præcipiuntur. Sed intelligendum est præceptorum Dei esse duo genera: Vnum cum ea præcipit ad quæ facienda non habet vires is, cui ea præcipiuntur. Tum Deus qui nihil impossibile præcipit, præcipiendo vires dat ad obediendum, vt cum terræ iussit vt stirpes aut animalia ederet, non habebat antea terra vires ad illa edenda, sed vires ei Deus præcipiens contulit. Item, cum homini iussit vt genus suum propagaret, eadem opera vires ei ad id faciendum dedit. Alterum præcipiendi genus est, cum ea præcipit, ad quæ facienda vires iam habet is cui ea præcipiuntur. vt cum Adamo præcepit, vt ab arbore scientiæ boni, & mali abstineret. Habebat enim Adamus iam vires ad comedendum, aut abstinendum, ideoque nouas ei vires Deus illo præcepto non dedit, sed ijs viribus quas ei ante dederat, præcepit. Iam quam præcipiendi rationem tenuit Deus an-

repeccatum in creando, & docendo homine eandem tenet in eodem post peccatum recreando & docendo. Siquid homini præcipit quod non possit, ei vires dat ad id exequendum. Sin præcipit quod homo iam possit, non dat ei vires novas: sed eis quas iam habet viribus præcipit. Vtriusque euidentissima exempla videre licet in recreatore nostro Iesu Christo.

Luc. 6.

Is enim dum iubet homini illi, qui habebat aridam manum, vt surgat & stet in medio, nihil iubet, quod ille facere non possit: quippe cui non ægrotarēt pedes. Itaque non dedit ei Iesus novas vires ad surgendum. Se dum deinde iubet vt manum extendat, dat ei vires ad extendendū, alioquin præcepisset, quod fieri non potuisset.

Iean. 9.

Item dum iubet discipulis vt eant prædicatum euāgelium, iubet quod possunt, sed dum iubet vt demonia ei jcient, leprosos mudent, mortuos suscitent, iubet quæ illi non possunt. Itaque facit, vt possint. Neque cuiquam quicquam præcepit vnquā, quin ille id facere posset, aut quin ipse vires ei ad faciendum dederit. Quod si visibilia, & externa, figura sunt inuisibilium & interiorum (vt certè sunt) necesse est,

vt

vt idem fiat in internis & inuisibilibus,
 alioquin figura esset nullius rei figura.
 Itaque cum de Dei præceptis agitur, in-
 telligendum est Deum nihil homini præ
 cipere nec visibile nec inuisibile quod *Quid pos-*
 homo non possit, aut ad quod Deus ei *sit homo*
 vires non conferat vt possit. Igitur consi- *aut nō pos-*
 derandum est quidnam homo post pec- *sit.*
 catum natura possit, an non possit sine
 nouis viribus. Item quæ quid possit adiu-
 tus nouis viribus. Naturaliter potest ho-
 mo ea facere, quæ sunt corporis; vt am-
 bulare, stare, videre, audire, dare, accipe-
 re. Ad hæc facienda nullis eget nouis vi-
 ribus: quippe qui corpus habeat in hisce
 rebus non vitiatum. Itaque cum iussit
 Nohe Deus vt à sanguine abstineret, aut
 Abrahamo vt circumcideretur, aut Israe-
 litis vt septimo quoque die ab operibus
 requiescerent, & fruges suas decumarét,
 & certa sacrificia facerent, & à furto aut
 homicidio abstinerent nullas eis nouas
 vires dedit ad ea obeunda, sed tantum ijs
 viribus, quas idem eis naturaliter dede-
 rat, præcepit. Ad hoc demonstrandum
 non est opus longa oratione, cum & id
 lentiamus, & simulatores etiam impios.
 quæ homines hæc tamen obire videa-

mus id quod exprobrat Christus Phari-
seis, qui mentam & anethum decima-
bant, & cætera externa opera obibant,
suosque mores hominibus probabant:
sed animi operibus (quoniam animus
peccato vitiatuſ est) non poteſt homo ſic
fungi vt poſtulat Deus, niſi nouas vires
habeat. Itaque cum iubet Deus homini,
vt Deum toto corde amet, alterum au-
tem vt ſeipſum amet, non ita iubet, quaſi
ea poſſit homo naturali virtute facere:
ſed cum noua ſpiritus virtute ad illa ob-
eunda donat. Huius rei imaginem quan-
dam videre licet tum in illis quæ modo
diximus exemplis Chriſti, tum in ipſo
Moſe legiſlatore: cui cum primum iuſ-
ſiſſet Deus, vt ſibi calceos de pedibus
detraheret, paruit ſine vlla cunctatione:
quippe qui ſciret ſe id facere poſſe. Sed
iubente deinde Deo vt Pharaonem adi-
ret, & Iſraelitas ex Aegypto educeret,
dubitauit, ſibi conſcius videlicet infir-
mitatis balbutiæque ſuæ. Itaque De-
us ei vires nouas ad miracula, & ad
eloquentiam dedit: quaſi hoc diceret,
facito quod poteſ, & ego faciam vt
poſſis quod non poteſ. 1. in Aegyp-
tum, poteſ enim. Et ego tibi conſeram
lux

quæ defunt. Simile exemplum est Israelitarum; quibus iubebat Deus ut Chanaanæos aggredierentur, & eis ad illos vincendos vires promittebat. Atque ex his perspicitur, Deum homini prius ea præcipere quæ facere potest homo, quàm quæ non potest: hoc est prius inchoata officia quàm perfecta. Ita fit enim, ut & homo suam debilitatem agnoscens Deo veras gratias agat, consecutus ab eo vires quibus carebat. Et Deus opus suum ab inchoatione ad perfectionem naturali ordine perducatur. Sciendum est autem, cum Deus sit animus, eum velle sibi ex animo obediri, atque huc spectare totam legem. Sed quoniam animi obedientia perfecta est, necesse est, ut ad eam perueniatur per corporis obedientiam imperfectam. Huius rei exemplum habemus in liberis nostris, quos cogimus prius nobis in externis rebus obedire, quàm ut nos ament ex animo, quod certè non faceremus, si posset verus amor prius in eis generari, quàm metu ad obediendum cogeretur. Ita fit ut animus obedientia ut dignitate prima, sic tempore sit ultima. Quemadmodum fructus dignitate flores antecedit, sed tempore

sequitur. Sed quemadmodum floribus nondum delapsis, subest iam fructus, imò in quibusdam ante flores cernitur, vt in malis, pyris, cucurbitis: sed est immaturus: sic in hac legis siue seruili, siue puerili, & inchoata obedientia inest quidam tamen amor, sed inchoatus, qui tamen amor ab ipso Deo præcipiente conciliatur: sic tamen vt intelligas non in omnibus esse amorem hunc, quemadmodum non omnium florum fructus. Sunt enim in lege duo obedientium genera: Alij enim solis naturæ viribus, non ex animo obediunt in rebus externis, quorum quidem obedientia Deo minus accepta est, quia non ex animo profiscitur. Atque hoc eis commune est cum quibusdam etiã qui sunt sub Christo, qui Christo in rebus externis obediunt planè seruiliter, alijs, vt dixi, ex animo & amore obediunt illi quidem legi, sic tamen vt sit amor ille inchoatus, ideoq; maior desideratur amor. Hoc igitur statuamus, hominem solis naturæ viribus munitū (Quæ tamen, & ipsæ sunt donū Dei) posse obedire legi Dei in rebus corporalibus, sed quæ obedientia minus ve-

ra sit, minusq; accepta Deo, utpote quæ
 vel à consuetudine, vel ab honoris aut lu-
 cri amore perficatur. Sin adsit ei gratia
 spiritus, quam largitur idem qui præci-
 pit Deus, dicamus posse hominem om-
 nia facere quæ ei præcipiuntur. quippe
 Deo ad obediendum suppeditante vi-
 res. Hinc illa Iosue, Samuelis, Davidis, &
 cæterorum obedientia, quæ prædicatur
 in sacris literis: Nec enim illi sine fide, &
 sancto spiritu obediuerunt. Cur autem
 non omnes sic obediuerint cū tamen o-
 mnibus sic præceptum fuerit, postea di-
 cemus. In præsentia quoniam osten-
 dimus veram obedientiam à Spiritu
 sancto proficisci, considerandum est,
 Spiritum sanctum esse quidem sem-
 perque fuisse vnum, sed habere tres æta-
 tes, non in se, sed nobis, quod quo facili-
 us intelligas accipe similitudinem. Cū
 vides aliquē hominē procul ad te veniē-
 tem, agnoscis tu quidem hominem, sed
 & parvus esset tibi videtur, nec eius æta-
 tem, aut formam potes agnoscere. Idem
 ubi propius accessit, iam maior apparet,
 & barbam vides, ætatemque & formam,
 tametsi obscurē agnoscis, Vbi deinde ad

*Tres æta-
 tes spiri-
 tus.*

te peruenit iam in eo discernis magnitudinem, ætatem, formam, denique omnia. Iam ille homo in se vnus est, eandēque formam habuit, & cum procul, & cum paulo propius absuit, quam habet cum proximè est. Sed tibi hoc ex oculorum tuorum iudicio tres formas habuit. Talis est diuini spiritus ratio. Is ad hominem à quo per peccatum longissimè discesserat, cœpit procul accedere per legem: itaque fuit illa Dei cognitio quam lex attulit, per quam obscura atque rudis & puerilis. Hinc fit vt Paulus legem elementa, siue rudimenta vocet, & pedagogum qui præsit puero. Legi successit Deinde Christus, qui Dei cognitionem attulit longè maiorem ille quidem, non tamen perfectam: non quia non posset (quippe in quo corporaliter habitaret omnis plenitudo diuinitatis) sed quia nondum per ætatem ferre poterant discipuli quæ ipse eis dicenda habebat. Itaque promisit eis, & postea misit Spiritum sanctum, qui eos duceret ad omnem veritatem, & omnia doceret quæ eis ipse dixerat. Habes hic tres ætates spiritus Dei, quæ quidem dicuntur ratione nostri. Nam quod ad ipsum
atti-

attinet vnus in se idemque semper fuit,
 sed non eadem fuit eius cognitio homi-
 nibus. Prima ætas patris est, secunda filij
 tertia Spiritus sancti: qui tres vnum sunt:
 gignuntque tribus ætatibus nouum ho-
 minē immortali semine sermonis æter-
 ni. Pater puerum, lege. Filius, adolescen-
 tem euangelio. Spiritus virum af-
 flatu perfecto. Ac quemadmodum cor-
 poraliter vnus idemque est vitalis spiritus
 qui hominem puerū, adolescentem, virū
 fouet, & alit: ita spiritualiter vnus idēque
 est Dei spiritus, qui diuinum hominem
 per legem inchoat, per euangelium pro-
 mouet, & per Spiritum perficit. Et
 quemadmodum vitalis ille spiritus qui
 puerum alit, tēdit ad virum, habetque iam
 tū virum satis, ad virum gignēdum, nisi
 obstaret tenera, infirmaque ætas puerilis.
 Idemque dico de adolescentia quam dñs
 alit ille idē spiritus, conatur virū gignere
 sed impeditur adhuc nō satis firma ætas
 adolescentiæ. Ita in gignēdo nouo homi-
 ne S. ille spiritus, qui sub lege agebat in
 fidelibus tendebat ad virilē ætatē, sed per
 ætatē incrementa. Igitur quod ad obedi-
 entiam attinet, cum puer tantum crescit,
 quantum patitur ætas obedit perfectē vi-
 tali spiritui, neque plura exigit ab eo

spiritus ille, quamuis alioquin virilem ætatem sibi scopum proposuerit: id quod dico de adolescente. Est enim scopus intentione & obtutu sagittarij primus, sed sagittæ vltimus. Neque sagittæ succenset sagittatarius, si ea vicinum, & interpositum aerem ante penetrat, quàm scopum attingat. Est inquam scopus spiritus legis efficere vt homo Deum diligat perfectè. Neque tamen is Dauidem accusat inobedientiæ, si minorem habet dilectionem Dei quàm apostoli. Nec item apostolos ipsos si minus præstant ante, quàm post acceptum Spiritum sanctum, quin eam obedientiam habet Deus pro perfecta, quæ tanta est quantam patitur ætas. Ita fit vt omnis ætas perfectam habeat obedientiam, quæ tamen sit imperfecta, si cum grandiore ætate conferatur. Ita est puer perfectus, vt puer; sed idem imperfectus, si cum adolescènte, item quod adolescens si cum viro conferatur. Ita fit vt perfecta perfectio sit tantum viri, ideoque sola virilis ætas consistat: reliquæ ad eam semper tendunt. Huius distinctionis ignoratio peperit apud nonnullos sacrarum literarum interpretes magnos errores, dum nullam habentes ætatum rationem, verbis,

bis adhærent pugnaciter, & vna forma
 metiuntur omnes pedes Exempli gratia
 si inciderunt in eos locos, qui de homi-
 num peccatis loquentes, docent nemi-
 nem obediuisse legi. Damnant omnes
 quòd ante Christi aduentum nullus fue-
 rit spiritus aut obedientia. Itemque si vi-
 dent eos etiam, qui sub Christo fuerunt,
 tamen aliquid peccasse, hinc putant effi-
 ci, ut nemo esse vnquam possit, qui non
 peccet. Quod si adhiberetur hæc, quam
 dixi ætatum distinctio, essent omnia ex-
 pedita. Paulus dum præteriti temporis
 cognitionem cum suæ ætatis cognitio-
 ne confert, ætatem suam diem vocat, su-
 periorum verò noctem. Sic enim de le-
 ge loquitur. Nec splendidum quidem
 fuit quod splendidum fuit, si cum supe-
 rante splendore conferatur. Videlicet E-
 uangelij. Hic vides legem si eam per se
 consideres fuisse splendidam, sin cum
 Euangelio conferas, fuisse non splendi-
 dam. Idem paulo post. *Nos omnes delecta* 1. Cor. 13.
facie splendorem Domini speculantes, in e-
andem transformamur imaginem. At i-
 dem Paulus dum ætatē suam cum viri-
 li ætate confert sic loquitur. *Scientia dele-*
bitur. Nam aliquatenus scimus, & aliqua-

tenuis vaticinamur. Sed cū venerit perfectio-
tum quod aliquatenus fūi delebitur. Dum
puer eram vt puer loquebar, vt puer sentie-
bam, vt puer cogitabam. Sed vir factus, pue-
rilia deieci. Nunc enim per speculum cer-
nimus, per ambages. At tunc præsentes co-
ram. Nunc aliquatenus cognosco. At tunc
recognoscam, quemadmodum recognitus
sum. Nunc quidem manet fides, spes, chari-
tas, sed harum trium maxima est Charitas.
Hic habes finem legis Ludouice: ea est
Charitas: hoc est ea, de qua loqueba-
mur, Dei perfecta dilectio, cum qua
comparata fides pueri, & spes adolescen-
tis (quæ per se alioquin magnæ sunt)
splendorem suum amittunt, imò eua-
nescunt sicuti pueritia & adolescentia
euanescent in virilitate, aut sicuti lux
aut luciferi lumen absorbetur ortu so-
lis. Igitur vt ad propositum venia-
mus, verba illa Pauli quæ tu obiecisti,
videlicet, *Quod à lege fieri non pote-
rat: quoniam ipsa in eo propter carnem in-
firma erat, non ita accipienda sunt, qua-
si velit dicere, legem fuisse carnalem,
& nominatim ad hominem interfici-
endum comparatam: cum ipsemet, pau-
lo ante eundem istum locum dixerit, et*

Rom. 8.

se legem spiritualem, & vitæ causâ
 comparatam. Sed ita accipiendum est,
 quasi dicat: Quoniam Dei spiritus, qui
 obedientibus legi dabatur, nos verè in-
 stos efficere non poterat, non quia es-
 set infirmus ille quidem: sed quia nos,
 qui pueri eramus, non eramus maio-
 rum virium capaces, misit Deus per fi-
 lium suum, spiritum non alium ille qui-
 dem quam quem antè miserat (nec e-
 nim habet Deus duos spiritus) sed eun-
 dem maiore copia, postquam nos per-
 ætatem facti sumus maioris capaces,
 ut in nobis adolescentibus ea perfee-
 ret adolescentiæ spiritus, quæ in pu-
 eris perficere non potuerat, pueritiæ
 spiritus. Decet enim parua parvis, & grâ-
 dia dari grandibus. Is igitur Dei filius,
 toto Dei spiritu præditus, legi perfectè
 obediuit, peccatum vicit, ut legis iustifica-
 tio in nobis perageretur, hoc est, ut quem
 admodum per ipsum homo legi obedi-
 uit, Deum quæ toto corde dilexit (quæ sa-
 nè, legis iustitia est: quippe cum id fie-
 ri lex iubeat) ita nos eandem iustitiam
 docendo efficeret, ut et ipsi per fidem
 legi obediremus, hoc est, Deum toto
 corde diligerem⁹, & carne crucifixa, atq;

necata spiritui obsequeremur. Vides hic Christianorum iustitiam vocari legis iustitiam, non quia lex det homini vires ad fungendum ea iustitia, sed quia eam præcipiat ad eamque tendat. Eadem vocatur Christi, iustitia, quia Christus ea functus est, eandemque suos docet, & eis vires confert ad eam obeundam. Hoc illud ipsum est, quid in eadem epistola dicit Paulus: *Quemadmodum vnius hominis inobedientia fontes effecti sunt multi, sic etiam vnius obedientia iusti efficiuntur multi.* Sicut enim Adami inobediencia imitando perijmus, sic & Christi obedientiam imitando seruamur. Nam vt quod natum est ex carne caro est, ita quod natum est ex Spiritu spiritus est. Ad hæc si quid habes tu Ludouice, quod obijcias, dicito. **LVDOVIC.** Ego verò nihil, **FEDER.** Postquam igitur ita est, repetamus paucis quæ diximus, vt tandem ad sermonis nostri scopum veniamus. Demonstrauimus primum Deum velle omnes homines saluos fieri. Salutis via est obedire Dei voluntati, in eius præce-

Summa **su**ptis declarata. Vult autem Deus nihil **per**ioris di impossibile: quod si quid homini præci **sputatiōis.** pit, quod homo præstare non possit, dat

ei vires ad præstandum. Præcipit autem omnibus, & tamen non omnes obediunt. Quæritur hunc ex te Ludouice, quænam res impediatur, quo minus omnes obediunt? LVD. Malo ipse ex te audire. FRID. Attende igitur. Meministi dicere nos, Deum nihil velle quod sit impossibile. LVD. Memini. FEDER. Iam obedientia est voluntaria. LVD. Est. FED. Fieri autem non potest ut eadem res, & voluntaria sit, & coacta. LVD. Rectè dicis. FED. Nemo potest igitur cogi ad obediendum. Ideoque Deus neminem, vult cogi ad obediendum. Est enim impossibile eundem, & cogi, & voluntate sua facere, cum hæc duo sint pugnantia. Ex quo efficitur ut quo minus seruetur omnes, efficiatur praua eorum voluntate, qui obedire nolunt. Quæ voluntas cum libera sit persuaderi, & moueri potest, cogi non potest. Nam si cogi posset, seruantur omnes quibus præcipitur obedientia. LVD. Sed hic oritur mihi dubitatio Federice: videtur enim Deus voluntatem hominis interdum non solum persuadere, sed etiam cogere, ut cum Aegyptiorum animos ad beneuolentiam conuertit, quo Israelitis vasa vtenda darent,

*Obiectio
de coactione
voluntatis
hominis.*

At. 9.

quos tamen antè oderant. Item dum Balaamum iisdem Israelitis fausta ominari coegit: & Ionam ire Ninivem. Denique scriptum est, eum habere cor regis in manu sua, & id quocūq; velit flectere. Hinc videtur Paulo dixisse Christus, *Durum est tibi aduersum stimulum calcitrare*, quasi hoc diceret, cogā te quocūq; volam, sicut equū cogit eques. F. O Ludouice, duo sunt equorū genera: Alij enim sunt refractarij & cōtumaces, quos eques calcitribus & frenis cogit quō vult, & retrahit vnde vult: atque hi per vim obediūt: sed ea non est vera obedientia, neq; propterea laudantur ab equite, si inuiti paruerunt: Alij vtrō parent, & ij laudantur: tales sunt & homines. Quidam enim eorum sunt inobedientes; & hos cogit aliquādo deus, propter suos ad aliquid vel faciendum, vel omittendū contra ipsorū voluntatem: talis fuit Balaamus, quē Deus coegit Israelitis fausta precari: sed non coegit Israelitis benè velle. Quippe qui postea Balaco cōsiliū dederit, quo posset Israelitis nocere. Quod profectō fuit maleuolētiae. Sic Ionam coegit ire Ninivē, sed non coegit Niniuitis benè velle, cū is postea nō desierit optare vrbis excidiū.

Sic

Sic Saulum victum bonitate Davidis 1. Reg. 24.
 coegit plorare, peccatum quæ suum fate- 26.
 ri: & Davidi bene ominari. Quinetiam
 eundem coegit vaticinari: sed bonum fi-
 eri non coegit, cum is postea Davidem
 persequi non destiterit. Idem dico de
 Aegyptijs, quos certè bonos esse nõ coe-
 git: cū ij paulò post Israelitas cum exer-
 citu persecuti fuerint. Et vt summam
 dicā, cogit Deus interdū homines ad a-
 ctionē aliquam, (vt si tu aliquē prehensa
 manu scribere cogas, quāvis scribēdi im-
 peritū) sed ppter quā ipse nõ laudet eos;
 qā inuiti fecerint Neq; ppterea ab ea a-
 ctione nomen habere possint. Nõ enim
 sobri⁹ dici potest, qui semel ab ebrietate
 se continuit: Neq; misericors, qui semel,
 & iterū misericordia motus est. Quēad-
 modum cōtrā ebriosus dici nõ debet, qui
 semel aut iterū inebriatus est. Sed is mi-
 sericors est appellāus, qui in animo ha-
 bet habitum misericordiæ. Deniq; rem
 totam similitudine sic percipe. Deus i-
 gni naturales vires olim in Sidraco, Me-
 sacio & Abdenagone ademit, ne illis ig-
 nis esset, hoc est, ne illos secundum
 naturam suam vreret: sed ignis na-
 turam in perpetuum non mutauit: ita

iniustorum animos interdum ad tempus per vim flectit ad misericordiam, sed non in perpetuum iustos per vim facit. De hac nos iustitia loquimur, quæ est habitus. Ad hanc nos hominem diuinitus allici & impelli fatemur: sed cogi, pernegamus. Vult enim habere Deus veros, & voluntarios Iudæos, quos ipsemet laudet, id quod non faceret, si cogeret iniustos. Atque hoc significatum fuit, (vt mihi quidem videtur) in constructione tabernaculi (quæ certè figura fuit cordis hominis, quod tabernaculum siue templum est Spiritus sancti) quod tabernaculum constructum fuit ex populi donis voluntarijs nemine prorsus ad conferendum coacto: cū tamen ad alia quædam cogeret lex populum. Sic igitur Deus ad alia quædam cogit homines: sed ad animi iustitiam neminem cogit. Lvd. Quid ergo sibi volunt dicta illa: *Cogite eos intrare?* Item: *Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum?* F. E. D. Trahere, est attrahere, & allicere, sic loquitur sponsa: Cant. I. *Trahe me post te: curremus.* Hæc certè volens trahitur, cum sponsum ultro roget vt se trahat. Sic & Deus in Osee. *Humanis funibus, loris amatorijs*
cos

*Trahere
quid.
Cant. I.
Osee. II.*

cos attraxi, eisque fui, quasi, qui impossitum eorum maxillis iugum allenaret, & eis demisi pabulum, quasi qui non essent redituri in Aegyptiam terram, aut Assyrium regem habituri: sed corrigi recusarunt. Vides Ludouice, quomodo trahantur, & quomodo Dei attractioni voluntati que resistent. Itaque sic continuo loquitur Deus: *Itaque grassabuntur in eorum urbibus enses, eorum opes consumment, ac conficient ob ipsorum consilia.* Vides quæ causa sit eorum pœnæ, videlicet cōsilia, quibus obsequuti, Deum trahentem sequi noluerunt. Sic enim protinus infert: *Meus populus ad me redire cunctatur & ad supremum vocatus protinus non mouetur.* Vides hic apertè eos Dei vocatui, attractioni, & loris amatorijs (ne fortè obijcias, attractionem illam fuisse tantum verborum. nam amore certè animi est) resistere. Ac quod dixi de verbi trahendi notione, etiam profani auctores sic loquuntur, vt Virg.

Trahit sua queng; voluptas.

Atque idem dico de cogendo. Cogere Cogere est vehementer inuitare, & vrgere. Sic quid. Christus discipulos suos coegit nauim Marc 6 conscendere. Sic & discipuli, qui Emaun Luc. 24.

untem proficiscebantur, Christum coegerunt secum manere. Sic & Lydia coegit apostolos ad se diuertere. Sed huiusmodi coactio fit cum voluntate eius, qui cogitur, ei que coactioni, tanquam vehementi cogenti que vento, tamen aliquando resistitur, sicuti modo ex Osea ostendebamus. L V D. Rectè dicis. Sed quid est quod promittit Deus Israelitis, sese exempturum postremis temporibus ex eorum corporibus cor lapideum, daturumque cor carneum? Itemque, quod dicit Paulus. *Deus est qui efficit ut et velitis, & perficiatis?* Hic enim videtur Deus non persuadere, sed planè gignere cor nouum. F E D. Satis gignit cor nouum, qui facit ex malo bonum: neque tamen non efficitur id persuadendo. Cum docebat ipse Paulus homines, efficiebat Deus illa doctrina, ut vellent, & perficerent, & tamen scriptum est, eum illis persuasisse. L V D O V I C V S. Sed cur fiet illud postremis temporibus? Aut cur non habuerit superioris temporis doctrina tantas vires? F E D E R I. Cur maiores vires habent vehemens, aut secunda, tertiaue medicina, quàm lenior aut prima? aut vehemens ventus maiores, quàm remissior?

Act. 19.
26, 28.

fior? Existimare debes Ludouice, Dei spiritus esse quendam, quasi ventum animos impellentem, & ad obedientiam flectentem. Is in lege flauit vehementer, multosque mortales flexit ad obedientiam. Deinde in Euangelio flauit longè vehementius, multoque plures flexit, quos lex flectere nequiuisset. Idem ad extremum flabit longè vehementissimè, adeo vt eius vi resistere nulla vis queat. Itaque multos etiam flectet, quos euangelium flectere nequiuert. **LVDO.** Si ita erit, & si ei resistere nulla vis poterit, flectentur omnes ad obedientiam. **FED.** Aut extirpabuntur, Ludouice, aut rumpentur. Non enim omnes arbores flectit ventus, licet quàm fieri potest vehementissimus: sed flectit omnes flexiles: Duras verò, & arduas atque inflexiles rumpit, aut extirpat. Talis erit ultimo die spiritus Domini: omnes homines aut flectet ad obedientiam, aut in sempiternas poenas extirpabit, atque ita inuictus permanebit. Sic enim de eo scriptum est: *Deprimentur hominum superbi oculi, humanaque deturbabitur excelsitas, & solus Dominus ex-*

Esa. 2.

potentis talis erit in omnia sublimia, atque
 alta, in omnia elata, ut deprimantur, in om-
 nes proceras altasq; cedros libani: in omnes
 Basanæ ilices, in omnes arduos montes,
 in omnes editos colles; in omnes excelsas tur-
 res, in omnes munitos muros: in omnes Cili-
 cas naues: denique in omnes res elegantes:
 atque ita deicietur mortalium celsitudo, hu-
 manaque deturbabitur altitudo, et solus Do-
 minus extollebitur in illa die; Deaestrosq; pror-
 fus eueriet.

Hic vides, Ludouice, qui-
 nam sint Spiritui sancto repugnaturi, vi-
 delicet superbi, duriq; homines, qui
 rumpi mallent, quàm ad Dei voluntatem
 flectere suam: ijs erit in perpetuum per-
 eundum. Erit enim illa vltima & extre-
 ma medicina, quæ adhibebitur extremo
 morbo, hoc est hominũ impietati, quæ
 tum perducta erit ad summũ, beatos qui
 se ante flecti sinent, quã vltimas spiritus
 illius vires experiantur. LVD. Videris
 mihi pugnantiã dicere. FED. Quonam
 pacto? LVD. Dixisti antè, spiritum qui
 sub lege agebat in fidelibus, conatum
 fuisse viros gignere, nec fterisse per eum,
 sed per ætatem illius populi, quæ tua ver-
 ba culpam tribuebant ætati populi, quo-
 minus viri fierent: nunc dic's, spiritum
 vlti-

ultimo seculo vehementius esse flaturū,
 ideo quæ magis homines moturum. Ste-
 tit ergo per spiritum, quo minus priores
 permoti fuerint. Si enim tam vehemen-
 ter flauisset, illos æque permouisset. F E.
 Non sunt hæc pugnantia, Ludouice. Nō
 enim dixi, spiritum tempore legis sum-
 mas vires exeruisse, sed habuisse; sed
 quominus eas exerceret, in causa erat æ-
 tas populi, quæ tãtas vires ferre nō potu-
 issent: eam quæ ob causam demonstrabam
 ad hanc ætatem non nisi per etatum in-
 crementa peruenire potuisse. Facit e-
 nim Deus in docēdis populis, quod nos
 in pueris solemus. nimirum tantum eis
 discendum imponimus, quantum ipsi
 quoque tempore ferrequerunt, quamuis
 maiora habeamus. quod vt facilius per-
 cipias, dicam tibi & similitudinem & e-
 xemplū. Similitudo hæc est; Si ager nūc
 primū sulcatus frumento conseratur,
 feret ne frumentum? L V D. Non feret.
 F E D. Cur? quia post sulcationem non
 quieuit. F E D E R. Quid si sulcatus ali-
 quot dies quieuit: deinde aratus conseri-
 tur, feret ne? L V D. Feret, sed non felici-
 ter. F E D. Quid si iteratus, aut etiam ter-
 tiatus, ad extremum conseratur? L V D.

Tum vero feret vberimè. FED. Sic sunt homines Ludouice: facit ætas vt tandem ferant, quæ olim non tulissent. Exempla sunt in promptu: Apostolorum tempore vix ferebant Christiani vt circumcisio aboleretur, aut ciborum delectus tolleretur: quæ res Apostolos etiam coegit edictum illud edere de abstinendo à sanguine & suffocatis: at nunc nemo Christianorum illis sublatis offenditur: quin & nostro tempore vsuuenire videmus. Nam ante annos xxx, aut xxxx, quædam nemo tulisset, quæ nunc palam asseri videmus, & propter quæ in nonnullos olim capite animaduersum est: nec dubito, quin eadem ratione hodie quoque quædam dicere vix quisquæ audeat, & quæ si quis dicat, capite plectatur, quæ aliquando etiam pro suggestu prædicabuntur. Igitur, vt ad propositum reuertar, hoc dico, quo minus seruetur homo heri praua eius voluntate, eamq; voluntatem liberam esse contendo. Sed intellige me de voluntate, non de arbitrio siue potestate loqui, ne fortè hæc cōfundamus, quæ multum inter sese distant: Habent enim multi liberam voluntatem, qui non habent potestatem. Atq;

utrem apertius intelligamus, repetamus
 argumentum à primordio. Fateris Ada-
 mum ante peccatum habuisse liberam
 voluntatem, potuisse quæ vel bonum, vel
 malum eligere arbitrio suo? LVD OVIC.
 Fateor. F. Quid post peccatum? LVD O.
 Dicunt ita fuisse corruptum, ut nihil ni-
 si malum velle posset. Atque hoc cum
 ex alijs locis demonstrare conantur,
 tum ex eo potissimum quod scripsit Mo-
 ses, *hominum studia & cogitationes esse*
prauas. FEDERIC. Debebant cogita-
 re ab eodem Mose eodem in loco scrip- *Gen. 6.*
 tum esse, *Noam tamen fuisse iustum*, ut
 interim taceam Enochum & Abelem, at
 quæ adeo ipsum primum hominem, sic
 & peccatorum parètem Adamum: qui si
 nihil nisi malum velle potuit, mirum est
 potuisse ab eo gigni hominem boni vo-
 lentem Abelem: si bonum velle & potuit,
 & certè voluit, nō video, cur eius nati nō
 idem potuerint. Sed age, Ludouice, ut de
 re propius iudicare possimus, fateris ve-
 rā esse illā Pauli sententiā: *Spiritus hominis* 1. *Cor. 1.*
nonit quæ sunt hominis, sicuti dei spiritus diuina
nonit? L. Fateor. F. Fateris & hominis volū-
 tatē re esse hominis? L. Ita. F. Ergo potest
 hominis spiritus siue animus, iudicare de vo-

luntate hominis, libera sit, an serua. Ita-
que de ea disputem⁹ ex sensu hominis.
 LVD. At nostri nolunt. Dicunt enim,
animalem hominem nō capere ea, quæ sunt
 1. Cor. 2. *spiritus Dei. Infatuauit enim Deus sapien-*
tiam huius mundi, quo per stultitiam prædi-
 1. Cor. I. *cationis saluos faceret credentes. Proinde si*
quis sibi sapere videtur, stultus fiat, vt redda-
tur sapiens. Quandoquidem sapientia hu-
ius mundi, stultitia est apud Deum. Hisce
 oraculis adducti, volunt vt credamus ser-
 uam esse voluntatem hominis, quam nūis
 sensus communis repugnet. FED. Istud
 verò est hominibus eruere mentis ocu-
 los, & omnem rationis sensum adimere.
 Ac qui istud sibi concedi volunt, plus à
 nobis postulant, quàm Christus vnquā
 postulauit. Nam tantum abest vt Iudeo-
 rum naturale iudicium vnquam repu-
 diauerit, vt potius iusserit eos iudicare
 de rebus spiritualibus secundum iudici-
 um quod habebant de rebus naturali-
 bus. *Hypocritæ, inquit. cali terræ quæ faci-*
 Luc 12. *em diiudicare scitis, cur non etiam de hoc ti-*
pore iudicatis? Cur non ex vobis ipsis iudica-
tis quod æquum est? Item alibi, *Quid vo-*
bis videtur? inquit, *habebat quidam dum*
filios, quorum vni iussit vt iret in vineam,
 Et.

&c. Est enim tibi notum exemplum. Item alibi de vinitoribus, qui patris familiâs filium occiderant. *Quid faciet vinitoribus illis?* inquit. *Et illi malos male perdet.* Item alibi : *Duo debitores erant cuidam* Luc. 7. *generatori &c. Vter eum plus amare debet?* Matth. 21. Respondit Simon, *cui plus condonauit.* Item Luc. 10. alibi : *Vter tibi videtur fuisse proximus, illius qui inciderat in latrones?* Is qui eum misericordia persecutus est. Inquit, & in fac similiter. Vides Ludouice, vt Christus communi sensu iudicari velit, & de rebus euangelicis, & eas ad humanum iudicium referat. Hinc tot similitudines ab agricultura, à satione, à piscatione, à patrefamiliâs, à gallina, à re militari, ab herbis, cæterisque rebus, quibus similitudinibus nunquam profectò vsus fuisset, si nos communi sensu priuare voluisset. Et verò quis ei vnquam credidisset, si ea docuisset à quibus natura abhorreret, aut quibus sensus hominis reclamaret? Quis non eum meritò deridisset, si ambulanti ambulare, aut audientem audire, aut viuentem viuere negauisset? Qualis magister fuisset, si ploranti, & eius pedes capillis suis abstergenti illi mulieri dixisset : O mulier quicquid pecca-

sti, Dei decreto peccasti: nec ab istis peccatis abstinere vnquā potuisses etiam si voluisses, ac ne velle quidem potuisses. Quinimo si deinceps peccabis, Dei decreto, idque necessario facies. Quæso te quomodo eum ferre potuisset mulier, quæ poenitentiam agebat, seq; volentem, & non necessario peccasse sentiebat? Nōne necesse est, si vult docere nos Deus, vt secundum naturam doceat, & à cognitione rerum naturalium (quorum magnā partem nemo est qui nesciat) ducat nos ad cognitionem rerum cœlestium? Nōne necesse est vt si nobis lucem affert, eam afferat quam oculis ferre possimus? Et si loquitur, nostra lingua loquatur: alioquin nonne perinde facit, ac si homini fœnum, aut boui carnem det ad comedendum? Isti ipsi prædestinatores, qui nolunt nos de hominibus voluntate iudicare secundum ea quæ sentimus, cur tantopere vrgent, tum alia, tum imprimis figuli similitudinem? Nonne nobis erit in promptu eis dicere, tollite similitudinem istam, quæ cadit sub sensus hominis animalis? Is enim iudicare non potest quæ sunt spiritus Dei. Cur deniq; liberum arbitrium

tam libero arbitrio negant? Si enim rite
 examinabunt seipfos, sentient, se ea quæ
 dicunt, dicere liberrimo arbitrio, & ali-
 os damnare liberrimo arbitrio, & me-
 nunc si adessent ipsis contradicere liber-
 rimo arbitrio. L V D O V. Equidem mi-
 hi verissima dicere videris. Tollit enim
 omne iudiciũ qui ea negat quæ sensi-
 bus percipiuntur; vt si quis ignem cali-
 dum, aut absinthium amarũ esse neget.
 Verum quid respondebimus ad dicta il-
 la Pauli, *quod animalis homo non perci-
 piat ea, quæ Dei sunt?* FED. Illud ipsum,
 quod ante ex ipso Paulo diximus: Res-
 diuinas nouit spiritus Dei, & is, qui eo
 spiritu præditus est. cuiusmodi est re-
 gnum cœleste, nouus homo, & huius
 generis alia. Hæc soli Deo, & pijs nota
 sunt. Sed hoc nihil ad voluntatem vtrum
 libera sit, an serua. Non est enim volũtas
 res spiritualis, sed humana, quæ in im-
 pijs æq; atq; pijs inest, & de qua non mi-
 nus possunt omnes iudicare, quàm de co-
 loribus, saporibus, sonitibus, odoribus, co-
 gitatione, audacia, timore, alacritate, tri-
 stitia, lætitia, & cæteris. Quod si de vo-
 luntate ex sensu nostro iudicare nobis
 non licet, ne de ijs quidem licet. Adde-

quod voluntatis sensum alium non habet homo spiritualis, quàm carnalis. Nec aliam tu vel libertatem, vel seruitutem voluntatis nunc sentis, quam sensisti antequam in Christum credidisses; quod tamen fieret si voluntas esset res spiritualis, quæ non nisi à spiritualibus cognosci posset. Consule ipse sensum tuum, ita esse comperies. **LVDOV.** Ita est. **FED.**

Age igitur, cum vinum potas, vtrum nolens potas, an volens? **LVDOV.** Volens. **FED.** Vtrum necessariò, an non necessariò?

*Libertas
voluntatis*

LVDOV. Necessitatem equidem nullam sentio. Illecebras quidem voluptatis sentio, sed ex non ita me impellunt, vt non possim non bibere. **FED.** Habes igitur liberam & voluntatem, & potestatem potandi, aut non potandi. **LVDOV.** Si quidem ex eo iudicandum est quod sentio, habeo. **FED.** Sensus tuus falsus non est Ludouice: nec enim in eo vitiatam habes naturam. Quid cum tibi deinde ex potatione dolet caput; Vtrum volenti dolet, an nolenti? **LVDOV.** Nolenti, id quæ necessariò, alioquin euitarem dolorem. **FED.** Velles igitur vt non doleret, sed id efficere non potes. **LVDOV.** Ita est. **FED.** Habes igitur in eo liberam voluntatem:

sed

sed potestatem non item. LVD. Verum dicis. FED. Iam sentis voluntatem tuam liberam esse, & in ijs quæ possis, & in ijs quæ non possis. LVD. Planè sentio. FR. & rectè sentis: quid est enim tam liberū quàm volūtas? aut quid est tam bonum aut tam malum: tam difficile, aut tam facile: tam absurdū, aut tam aptum quod voluntas velle non possit? Atque vt hoc intelligas age experiamur. En ego hic adsum: Dico me habere liberam voluntatem. iube me surgere, surgam: iube stare, stabo: iube loqui, loquar: iube tacere, tacebo. Et hæc omnia faciam arbitrio nō solum meo sed etiam tuo. Rursum, iube surgere non surgam: iube stare, non stabo: iube loqui, tacebo: iube tacere, loquar. Et hæc dico esse omnia arbitrij mei. Quod quidem arbitrium habeo non à me, sed à Deo, qui me talem creauit. Refelle me si potes iubendo aliquid. Dicam amplius: Iube ea, quæ facere non possum, dico me ea velle posse, sed facere non posse; atq; hanc voluntatem meam dico esse liberrimam, & posse me in istis rebus velle quidlibet, eadem quæ voluntate eligere vel album, vel nigrum, vel calidum vel frigidum, arbitrio meo,

quod certè non possem si esset serua voluntas. Non posset enim de duobus contrarijs velle vtrumbibet: sed alterutrum dumtaxat vellet, quemadmodum quod graue est, non potest sursum, aut deorsum nutu suo ferri, sed necessario fertur deorsum. Quòd si hanc meā volūtatem dicunt tamē esse seruam, quāso te distinguant inter seruam & liberam voluntatem quid intersit, & ostendant, quid amplius velle possem, aut an magis mouere in vtranque partem voluntatem meam possem si esset libera. Ostendant denique vel Adamum ante peccatū, vel Christum ipsum, (quos certè liberam habuisse voluntatem nō negabunt, nisi planè depuduerint) maiorem habuisse libertatem voluntatis, quā vt eandem rem vel velle, vel nolle, vel modò velle, modò nolle, possent. Maior certè voluntatis libertas ne quidem cogitari potest. Atqui ego hanc habere me, & dico & sentio. Quòd si quis me refellere vult, necesse est vt mihi sensum hunc adimat, non minus quā si mihi persuadere vellet me non gaudere, cum me gaudere sentio. **LVDOV.** Sed dicet fortasse aliquis, ne sic quidem liberam esse voluntatem tuam:

moueri enim rationem tuam vtilitate,
aut honestate, aut voluptate. Atque i-
ta fieri, vt quæ res plurimum apud te
ponderis habeat, ea voluntatem tuam
ad se pertrahat, id quod fieri aliter ne-
queat. **FED** At istud quidem est osten-
dere causam, non seruitutem volunta-
tis. Non enim quæ mouent, eadem e-
tiam cogunt, aut necessitati subiiciunt:
& pij cum Deo seruiunt, non sine cau-
sa seruiunt; nec tamen iccirco serua est
eorum voluntas, sed maximè libera:
Alioquin Christus ipse seruus fuisset.
Mouebatur enim certis causis ad ser-
uiendum patri. Mouebatur misericor-
dia ad sanandos ægrotos. mouebatur
studio gloriæ patris ad eiiciendos ex fa-
no mercatores, & tamen erat eius liber-
rima voluntas. Atqui si non est hominis
Christiani libera voluntas, ne Christi
quidè libera fuit. Non minus enim est fir-
mū argumentū hoc quā illud Pauli, *si nos
non resurgemus, nec Christus quidè resurre-* **1. Cor. 15.**
xii. L. Sed sunt, qui voluntatē hominis in *Virum etiā*
rebus medijs liberā esse cōfidentes, eādē *am ad bo-*
esse seruā dicūt ad bonū: Nihil enim pos- *num sit li-*
se velle nisi malum. Esse enim oēs homi *bera volū*
nes fontes, qui aut cōmittit peccatū seru^o *tas.*

est peccati. F E D. Etiam qui fungitur iustitia, seruus est iustitiæ, an propterea serua est eius voluntas? Nihil minus, si modò fateamur Christi voluntatem fuisse liberam, qui certè seruauit iustitiæ. Et tibi seruit tuus seruus, Ludouice. An ideo seruua est eius voluntas? imò ea ipsa est, quæ ei impat, vt tibi seruiat. Ita fit vt serui hominis voluntas libera sit, & imperatrix, siue is tibi perpetuò seruiat, siue aliquando dominum mutare velit. Quod idem dico de eo qui seruit peccato, libere seruit, siue is perpetuò seruit, siue aliquando dominum mutare velit. Nam si ideo seruua voluntas eius dicitur, quia vult tantum peccatum, etiam Dei seruua voluntas dicitur, quia vult tantum iustitiam. Hoc verò perinde est, ac si quis seruuum vocet alicuius visum, quia solo colore nigro delectetur. Quasi verò non idè possit si velit album videre iisdem oculis quibus videt nigrum. Sunt quidam homines, qui non nisi rubrum vinum volunt: an ideo seruua est eorum voluntas, vt album velle non possint? Persuade eis album esse salubrius, & videbis eos velle album, si modò valetudinem suam plus amant, quam voluptatem: vt intelligas.

eos eadem volendi facultate posse velle duo diuersa, aut contraria: sicut iisdem oculis aut auribus contrarios colores, aut sonitus videre possis, aut audire.

Quod idem dico de hominibus: Persuade eis peccatum esse tam malum quàm est, & iustitiàm esse tam bonam quàm est, & videbis eos eadem volendi facultate qua peccatum voluerunt velle iustitiàm, iisdemque membris seruire iustitiæ, quibus seruire peccato. Nec enim dux sunt volendi facultates in homine, non magis, quàm videndi, aut audiendi. examina sensus animi tui, ita esse comperies. Atque hæc ita dixi, quasi homines omnes natura nihil velle possint, nisi malum, quod etiam si ita esset, nec sic quidem serua dici deberet voluntas eorum non magis, quàm si nihil vellent nisi bonum. Nec enim idem est seruare esse voluntatem, quod malum. Nunc multum abest ab eo ut conatear homines natura nihil velle nisi malum. Quàm meam opinionem, ut intelligas, sic rem explicabimus. Duo sunt doctrinæ genera quæ hominem nuntiant ad cognoscendum, & porro volendum amandumque bonum, hoc est Deum. Vnum est opus

Rom. I.

Psal. 8. &
19.

Dei visibile, videlicet mundus, cuius opificium contemplando, perspiciuntur ea quæ dei sunt inuisibilia, cuiusmodi est eius sempiterna potentia, atque diuinitas; quæ res cum per se sint amabiles, hominem inuitant ad amandum Deum. Alterum est ipsa Dei lex, quam ego interpretor, quicquid vel in lege Moïsis, & vatibus, vel in Euangelio cõprehẽditur. est enim Legis, & Euãgelij summa, amare Deum toto corde, & alterum sicut seipsum. De hac vtraque doctrina scriptus est totus ille Psalmus. *O Ioua Domine noster, quam nobile iuum nomen est in toto orbe terrarum?* Item ille, *Celi enarrant gloriam Dei.* Hanc vtranque doctrinam dico esse efficacem, & habere, si non vbique, aut statim, at certè alicubi, & tandem qui obediant. Illud quidem fateor, naturæ vires esse longè minores, quàm vt hominem possint ad Dei perfectum amorem perducere. Nam si id natura fieri potuisset, frustra Lex, & Euãgelium addita fuissent. Sed ad institutũ nostrum satis est, si habet natura vires aliquas ad generandũ in homine aliquam voluntatẽ amorẽq; boni, vt certè habet: quandoquidem natura fieri videmus, vt

res

res pulchre, sapiéterq; factę (qualia sunt omnia opera nature) homines ad se amādos alliciant. Quod si ex operis pulchritudine cognoscit authoris pulchritudo, hoc est p̄stātia, efficitur, vt author quoq; ametur. Atq; vt hęc exēplis, quibus refi si non potest (si fortē rationes parū perspiciuntur) plana faciamus, Fateberis, opinor in vniuersum eorum hominum, qui sine lege viuunt, esse genera duo, quorum alij boni, alij mali solent appellari. Sumamus Camillum, & Catilinam: hos duos, Ludouice, quonam nomine discriminabimus? an potius ambos vno nomine sine vllō discrimine sceleratos dicemus? LVD. Nefas videtur. Fuit enim maximum discrimen. FED. Quodnam tandem? LVD. Catilina fuit ingenio malo prauoq;ue. ei ab adolescentia bella intestina, cædes rapinæ, discordia ciuilis grata fuere. In Camillo fuerunt omnia contraria. FEDERIC. Atqui quod malo contrarium est, bonum est. LVD. Planē. FED. Fuerunt ergo Camilli virtutes bonæ, voluntq; Camillus bonum. Si quidem velle pacem, abhorrere à cædibus, rapinis, bellis intestinis, bonum est. LVD. Sed respondent nostri eum fuisse

hominem animale : itaque fuisse animo prauo, & contorto, qui aliud potius quiduis quàm rectitudinem sectatus sit. FED. Si ita est, ponamus eum in eodem numero cum Catilina, eique vitia eadem adscribamus, & vnà cum eo omnes animales, hoc est non renatos homines, dicamus esse sceleratos, proditores, simulatores, cæterisque vitijs omnibus contaminatos, nec vllum prorsus discrimen esse inter Catilinas, & Camillos. LV D. At istud quidem nefas est, cum manifestissima maximaque discrimina cernantur. FED. Dicamus igitur Camillum quamuis animale hominem, tamen voluisse bonum. Voluisse dico. Quanti potuerit postea, si se dederit occasio dicemus. Potuisse parum, fateor : sed certè plus præstitisse, quàm Catilinam, vel ipsò Catilina teste possim euincere. LV D. At respondent nostri, non esse istas communes naturæ dotes, sed speciales Dei gratias, quas variè, & ad certum modum profanis alioquin hominibus dispensat. nec tamen vtrunque non includi sub vniuersali humanæ prauitatis conditione. FED. Primum pugnantia dicunt Ludouice, si ista dicunt, Si enim habuit Camil.

nullus homo alioquin profanus, eas spe-
 ciales Dei gratias, certè fuit animo non
 pravo, & contorto, qui aliud potius quid
 vis, quàm rectitudinem sectatus sit, sed
 dotibus illis instructum bonum què se-
 ctatus est, neque tamen non fuit sub hu-
 manæ prauitatis conditione conclusus.
 Nam & David bonum sectatus est; & ta-
 men fuit nocens. Deinde nulla ratione,
 aut oraculo istud confirmant, sed sibi tã-
 quam vatibus credi postulant. Postremò
 ista dum dicunt, videntur velle ineffica-
 cem, & irritam reddere diuinam illam
 naturæ doctrinam; de qua superius locu-
 ti sumus, Cœli enarrant gloriam Dei.
 Nos scimus omne bonum donũ à Deo
 proficisci, sed quæ naturæ sunt, ea natu-
 ræ dici volumus, cuius author est Deus.
 Nam & quod oculis videmus, & auribus
 audimus, & animo cogitamus rectumq;
 à pravo discernimus, dona Dei sunt, sed
 naturalia: quod idem dico de Camillo,
 eum fuisse bene natum, & ei naturæ bo-
 nitati obediendo, voluisse bonum. Neq;
 enim in Christum credebat, de quo nun-
 quam audiuerat. Sed veniamus ad eos,
 quorum fit in sacris literis mentio. Abi- *Genes. 20.*
 melechus Gerarorum rex dicit minanti *Gen. 26.*

Deo, quod Saram rapuisset, sese id sincere mente intemeratisq manibus fecisse: & Deus id fatetur. Idem postea cū Ilaaco expostulat, quod vxorem suam sororem esse dixisset. *Periculū erat*, inquit, *ne quis cum vxore tua concumberet, in quo tu nobis noxam importasses.* Vides vt abhorreat ab adulterio. Voluit ergo bonum, qui à malo sic abhorruerit. Quid Regina Sabæ, quæ tot terras pagrauerit, vt Solomonis audiret sapientiam? Illamne dicemus nihil voluisse nisi malum, cum eius peregrinationem illam Christus ipse suo ore commendet? Sed longè apertissimus est Pauli locus, vbi sic loquitur: *Cum exterarum nationum, homines legem non habentes, natura faciunt quæ sunt legitima, ij legem non habentes, ipsi sibi lex sunt, qui quidem ostendant legis opus in suis cordibus inscriptum.* Quæso te, Ludouice, possunt ne facere quæ legitima sunt, si nihil possunt velle nisi malum? Cum & virtutes laudant, & vitia vituperant, atque puniunt, nonne ostendunt se velle bonum, & odisse malum? alioquin vitia laudarent, virtutes vituperarent, ac punirent. Quid de Cornelio Centurione dicam, qui antequam factus est Christianus, Deum cole-

Rom. 2.

colebatur, & orabat, & quidem ita, vt eius
 eleemosynæ, ac preces fuerint exaudire?
 Quid de Iudæis Christi etiam persecu-
 toribus (tantum aberat, vt Dei spiritum
 haberent) quos tamen Paulus testatur *Rom. 9.*
 habere zelum, & persequi legē iustitiæ: 10.

Quid est zelus nisi velle bonum? & quid
 est persequi legem iustitiæ, nisi quære-
 re, & velle iustitiam? Quid quod idem
 Athenienses sic alloquitur. *Quem vos*
ignorantes veneramini, eum ego vobis nun- *Act. 17. 23*
cio. Nonne dum dicit eos venerari eun-
 dem Deum quem ipse nuunciat, osten-
 dit eos velle verum bonum, neque vo-
 luntate, sed errore labi? Si quid habes
 ad hæc, Ludouice, quod respondeas, di-
 cito. L. v. Ego verò nihil. F. E. D. Audi iam
 quod est manifestius. Israelitæ cum iu- *Num. 14.*
 bête, & præfente Domino noluiſſent in-
 uadere Chanaan, postea eodem absen-
 te, & Moſe vetante, inuaſerunt. Quæſo
 te, quamam vi id volebant? L. v. o. v. V-
 tique non Domini iustitiam, cum is ab-
 eſſet. F. E. D. Saulus quoq; deſertus à Deo
 propter inobedientiam suam, eum po-
 ſtea frustra conſuluit, & inuocauit. Si-
 cuti ſcriptum extat. *Inuocabant illi qui-* *Pſalm. 18.*
dem (ſed indefenſi) Dominum, ſed non

exaudientem. Vndenam illa voluntas? LVD. OVI. Ne illa quidem à Deo cum esset ab eius spiritu destitutus. FEDER. Audi iam apertissimam sententiam. Sic loquitur apud Solomonem sapientia.

Prov.1.

Quandoquidem clamantem me respiciis, ego vicissim in vestro exitio ridebo, illudens cum venerit paupor vester. Cum venerit, & advenit quasi quedam vastitas, ac tempestas paupor, exitiumque vestrum cum vos inuenerit, angustia, atque necessitas, tunc inuocantes me non exaudiam. Nec mihi inuigilantes, me inuenient. Quoniam exoscientiam, Iouæ metum non elegerint, & meum reuoluentes consilium, omnem castigationem meam fuerint aspernati. Et his, LVD. Vndenam erit voluntas inuocandi sapientiam Ludouice. Non equidem à Deo, qui ipsos, sicuti de Saulo, & Israelitis ostendisti deseruerit. Nam si Dei iussu & instinctu inuocarent, impetrarent utique: cum dictum sit: Petite, & dabitur vobis. FED. Sensus ergo mali efficiet, ut velint bonum. LVD. Ita. FED. Quid illud Christi? Contendite, inquit, intrare per angustam portam? Nam multi, qui intrare conabuntur, non poterunt, postquam intrauerit pater familias, ostiumque clauferit, &

Luc.13.

vos foris stare, & ostium pulsare caperitis *LUC. 13.*
dicentei, Domine, Domine, aperi nobis. Vi-
des conatum Ludouice, qui plus est cer-
tè quàm voluntas. Vnde igitur habebūt
illam voluntatem? *LVD.* Certè non à pa-
tre familiàs, qui iam ostium clausierit.
Sed istud exemplum, ostendere tantum
videtur, fore aliquos, qui frustra appeti-
turi sint felicitatem: sed non qui conatu
ri sint facere quæ præcepit Deus. *FED.*
Erras mi Ludouice: nam verba illa: Con-
tendite intrare per angustam portam, de
angustia dicta sunt, quæ est in renūciādo
sibi, tollendæque cruce. Poterunt ergo à
Deo deserti, tamen velle bonum, sed nō
obtinere. Potest ergo homo, quamuis
malus, tamen velle bonum. Iam accipe
in eodem homine manifestum discriminē
diuinæ, & humanæ voluntatis. Cum vel *2. Reg. 7.*
let Dauid ædificare templum Deo, Vtrū
bonum volebat, an malum? *L.* Bonum.
F. Vnde autem habebat voluntatē il-
lam? *L.* Certè non ab instinctu Dei, cum
Dei instinctus fuerit ei voluntati contra-
rius. Dikitenim Nathan vates, non ip-
sum esse constructurum templum. *FED.*
Habebat igitur voluntatem illam à natu-
ra liberam Dauid. *L.* Videtur. *F.* Item

Act. 16.

Nathan ipse, qui ei primum iussit, vt faceret quod habebat in animo, volebat bonum, sed voluntate hominis. Nam Dei voluntas fuit, vt Solomo, nō Dauid, construeret. Item Paulus & Timotheus, cum conarentur per Bithyniam iter facere, vtrum bonum volebāt, an malum? Certē bonum; erant enim bona voluntate præditi, quam habebant illi quidem à Deo, sed liberam, alioquin nihil velle potuissent, quàm quod eos mox velle fecit Spiritus sanctus, qui eos id facere prohibuit, quod volebant; & illi sua illa libera voluntate ei obediuerunt, eadem quæ voluntate potuissent non obedire: secuti Ionas ab eodem spiritu iussus ire Niniuem, primò non obediuit, cum tamen spiritus vellet, vt tum obediret, cum iussus est. Ipse Paulus sic Corinthios alloquitur. *Veniam ad vos, postquam in Macedoniam abiero. Et spero me aliquandiu mansurum apud vos, si Dominus permiserit.* Dum permittendi mentionem facit, ostendit sibi esse voluntatem liberam, sed nescit, an idem velit Deus quod ipse. Itaque voluntatem suam Dei voluntati volens & liberè submittit. Ex his tot rationibus, & exemplis opinor evidens

2. Cor. 16.

uidens esse, Ludouice, hominem habere voluntatem, & in vtranque partem flexilem, vt bonum, malum quæ velle possit sine nouo spiritus instinctu, & tamen eâ voluntatem non habere à seipso, sed à Deo, qui talem hominem creauit. *Ly d.* Planè mihi persuasum est. *F. d.* Postquam igitur partem hanc absolui-
mus, & quid natura velle possit homo, ostendimus, superest, vt ostendamus quid velit. Dico itaque hominum plurimos velle malum, & hos in naturam ipsam esse contumaces, quæ eos inuitet ad volendum bonum. Paucos autem velle bonum, quales modo exemplis ostendimus. Quid verò volendo possint quam antè diximus, si modò dicta mea sint. *Quid homines naturæ velint. Quid possint.*
animaduertisti, tamen repetemus. Vocat Paulus hominem in diuinam rempublicam non ascitum, oleastrum. *Tu, Rom. II.*
Inquit, *Oleaster in eos insitus es.* Hinc perspicitur hominem natura esse quasi syluestrem quandam arborem, quæ fructum ferre possit illa quidem, sed agrestem, acerbum, & non edulem, qui tamen similitudinem quandam habeat boni fructus, & ad bonitatem tendere videatur, & quidem ad odoris.

bonitatem perueniat (sæpe enim nō minus suauiter olent fructus agrestes, quā domestici) sed ad saporis bonitatem (ā qua de arbore iudicatur) nisi inseratur, peruenire non possit. Eadem si inseratur mansuescit, bonosque fructus ferre condiscit. Talis est homo natura, potest velle bonum, & opera facere iustitiæ, quæ si leuiter, & quasi olfactu non gustatu examinentur, sicuti ab hominibus examinari solent, non minus placeant, quā vera iustitia. Eadem vel Dei, vel diuinorū hominum iudicio (qui non aspectu, aut olfactu, hoc est non leuiter, sed gustatu, hoc est verè iudicant) agrestis & acerbæ est, neq; magis Deo placet quā homini agrestia poma, qui habeat domestica: quippe, quæ à vero, & sincero Dei amore non proficiscatur. Idem homo, si in Christum inseratur, aut si in eum Christus inseratur, potest ferre veros fructus iustitiæ, non sua virtute, sed Christus, cū qua iustitia collata illa agresti iustitia, nomen amittit iustitiæ, nec vllō in precio habetur. Sicut agrestis olea collata cum bona olea, non habetur in precio. Atque illud animaduertendum est, quē admodum nullus oleaster, nulla pyrus,

tam